

1741

DISPUTATIO
PHILOSOPHICA
EXHIBENS

Nonnullas quæstiunculas
Præcticas

QUAS

DIVINA FAVENTE GRATIA

SUB PRÆSIDIO

M. MARTINI LEVSCHNERI
Pædagogij Stetinenſis Rectoris, ac Phi-
loſophiæ Profeſſoris.

Publico juventutis examini ventilan-
das committit.

GEORGIUS GIESE STET: POM:

Ad diem 25. Februarij.



STETINI,

Typis GEORGII GOETSCHII,

Anno 1626.



PHILIPPO

*Amplissimo, Excellentissimo, Consul-
tissimoq;*

Dn. CHRISTOPHORO Geerholdt J.U.D.
eximio, & florentiss. Reipublicæ Gry-
phisvaldensis Syndico lauda-
tissimo,

ut &


Amplissimo atq; Prudentissimo

Dn. JOSUÆ Wölschown/ejusdem Rei-
publicæ Senatori vigilantissimo.

*Dnm. Promotoribus, fautoribus & Adfinibus
omni venerationis & observantia cultu
prosequendis.*

Hoc quicquid est, exercitij.

*In debita venerationis & observantia Argumen-
tum nuncupat & O.*




Georgius Giese A. & R.

STETTIN.

THE GEORGI GÖTTSCHELL

Anno 1720.



QUÆSTIONES ETHICÆ

I.

*An sit ultimus aliquis actionum humanarum finis
s. Summum bonum.*

Sse ultimum aliquem actionum humanarum finem, seu summum bonum, in quem tantum scintilla aliqua melioris lucis diffusa, negabit nemo. Etenim, nisi talis aliquis finis esset, daretur infinitum, & appetitus quidem humani, qui unum bonum propter aliud expetendo, progredieretur in infinitum, quia nihil haberet, in quo tandem acquiesceret. Sicuti autem in Moventibus per se ordinariis, quorum scilicet unum pender ab alio in causando, non potest dari progressus in infinitum, sed necessariò deveniendum est ad aliquod primum; alioquin non esset motus: Ita in finibus consistendum est in aliquo ultimo, quod sit primum movens finaliter, in quo lappetitus conquiescat, aliter nulla esset appetitio. *Vid. Conimb. in lib. Eth. Arist. ad Nicomach. Disputat. 2. quæst. 3. Art. 1. Cui & ipse Philosophorum antesignanus haud obscure favere videtur. 1. Post. c. 3. & 1. 8. c. 5. 1. 2. Meta. c. 2. & 1. Eth. c. 7. Cum inquit: In quolibet genere actionum humanarum datur aliquis finis ultimus, & omnia quæ à nobis expetuntur, ob facilitatem expetuntur.*

II.

*An voluptas, honor, contemplatio, Divitiæ
sint summum bonum?*

Quæstionem An sit, excipit quæstio Quid sit. Ad hanc autem aditum nobis patefaciemus, si principiò quid non sit, adaperiemus. Qualis autem huius quæstionis conclusio esse debeat, ex qua-

A 2

tuor

tuor principaliorum vitæ generum, (quatuor enim præ cæteris Arist. æstimavit *μάλιστα προσέχοντα* maximè conspicua) præsuppositione, non difficile erit perspicere. Nonnulli enim in eâ fuere opinione, id esse summum bonum, propter quod certum aliquod vitæ genus amplectamur, quorum unumquodq, proprium suum habet finem. Primum est *ἀπολαυτικὸν h.e. voluptuarium*; Eorum, qui voluptatibus immerfi, & rebus mundanis dediti sunt. Alterum est *πολιτικὸν ἢ πρακτικὸν h.e. Politicum*; Eorum qui honestatis, laudis & gloriæ sunt Studiosi. Tertiū est *θεωρητικὸν h.e. contemplativum*; Eorum, qui veritatis causa in contemplando occupantur. Quartum est *χρηματιστικὸν. lucrosum*; Eorum, quos avaritiæ lues inquietat, amorq; servandi, & iniquè dispensandi à vero sensu avertit. *Sol. l. 1. Eth. c. 5.* Ex his quatuor vitæ generibus, quatuor finium genera propullulant: *Voluptas, Honor, contemplatio, & Divitia*; Quorum nullum summum bonum esse potest. I. *Non voluptas.* Nam I. Summi boni adeptio debet esse stabilis, & ejusmodi, ut eam non consequatur tristitia. Ast corporis voluptates, quas non comitetur tristitia, quæ dabuntur? *Canum more, inquit Philo judæus in lib. Giganti: abblandiuntur, tunc repente mutata morsum insigunt insanabilem.* 2. Voluptas est vox pecudis non hominis, & magis competit bestiis, quæ non ratione, sed sensuum judicio summum bonum æstimant. Intellige tamen non promiscuè omnem voluptatem; Est enim etiam voluptas licita, & quæ summi boni comes est: Sed voluptatem corporis, quam homo cum brutis aut beluis habet communem. II. *Non Honor.* Dicimus enim cum Aristot. *τιμὴ ἐν τοῖς τιμῶσι μάλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ* h. e. Honorem esse honorantis, non honorati. Felicitas autem est in ipso beato, & proprium eius, qui possidet. III. *Non contemplatio.* Quia quæritur Felicitas politica & practica, quæ considerant singulare aliquod bonum, quod in actionibus, eorumq; circumstantiis consistit. IV. *Non Divitia.* Quia dicuntur bonum violentum; 1. Quoad modum acquirendi. 2. Quoad effectus. Quoad primum; Quia per fas, nefasq; acquiruntur. Quoad Secundum; Quia reddunt homines petulantes, & malitiosos, s. violentos.

violentos. Summum autem bonum appellare violentum, & mali alicuius causam; absonum planè & absurdum est.

III.

Qua in re itaq, summum hominis bonum consistat?

De hoc problemate non solum varia variorum placita, sed & plurima olim strenuè Philosophantium extitère dogmata; quæ ne recenseamus, tædium facit, & fuga infiniti. *Cic.* interim in *lib. de fin.* De nullâ inquit quæstione inter summos major fuit dissensio, quam de eâ, quâ quæritur, quænam res sit summum hominis bonum. Quibus & suum confert calculum Augustinus, in medium producens Varronem, qui suo tempore circiter 288. de Summo bono opiniones annotavit. Nos aliorum vanas & vefanas opiniones, ad illud Aristotelis, (*curare quod quisq, loquitur dementis est.*) nihil curantes, pro problematis huius decisione statuimus: *Summum bonum* ob rationes in superiori quæstione allatas non esse: Voluptatem, Honorem, contemplationem, Divitas, nec ut nonnulli volunt, Virtutem; *Sed perpetuam virtutis actionem.* Non enim in habitu virtutis vir bonus acquiescit, sed eam refert ad actionem. Virtutem enim addiscimus, ut eam exerceamus, sicut artem, utq; secundum eandem operemur. *Vid. Curs. Phil. Keckerman. Disputat. 21, quest. 1.*

IV.

An virtus à naturâ?

Sub initium quæstionis huius recordor istius veriloquiû; *Nemo nascitur artifex; nemo doctus;* Ex quo infero: Ergò nemo etiam virtuosus. Non tamen ἀπλῶς & Absolutè: Virtus enim definitur per habitum. *l. 5. Eth. c. 5. Arist.* Ad quemlibet autem habitum communi omnium Philosophorum consensu tria requiruntur: φύσις, μέθοδος, & γυμνασία. *h. e. Natura, Doctrina & exercitatio.* Virtus igitur aliquo modo erit à naturâ. Nam nisi esset in homine naturalis quædam potentia ad virtutem, nunquam is efficeretur virtuosus. Tota huius quæstionis summa hac unicâ
A 3 distinctio.

distinctione expediri videtur: *Homini Inesse virtutes non perfectè & completè, sed inchoatè* tanquam in radice quadam primâ, e qua accedente disciplinâ, & Studiosarum actionum exercitatione in actum profiliant.

V.

An una tantum virtus?

Virtutem unam fecere Zeno, Menedemus, Aristochius & alii: verum, quâ in re propositi thematis nervus consistat, ut dilucidius appereat, sic procedo: Virtutes morales, omnium Philosophorum adseveratione in mediocritate, aut, ut recentiores nonnulli opinantur, ἐν τῇ ὀρθότητι in rectitudine & convenientiâ cum rectâ ratione consistunt. At enim unica tantum est recta ratio, quæ ostendit mediocritatem in omnibus actionibus servandam, Ex quâ etiam virtutes dimanant omnes, quæq; ipsa est *Prudentia* & propterea à Pithagoreis mater omnium virtutum appellatur. *Vid. Gol. Eth. l. 2. c. 7.* Unica itaq; in universum, cum unica sit unius rectæ rationis mediocritas, & rectitudo, virtus erit ponenda. Resp. Est quidem virtus una, sed generica tantum quadam ratione. Si enim specifica ratio, vel specialis determinatio, ratione diversorum objectorum accesserit, non secus ac arboris stipes in ramos, ita & ipsa in varias species dispescitur. Nam virtutes quidem sine prudentia esse non possunt, non tamen quælibet virtus est prudentia. *Prudentia enim consideratur dupliciter: vel fusè, pro ut est Heroica; vel presse, pro ut est distincta virtus.* Priori modo considerata, nihil est aliud, quam virtus universa, s. quasi una; Posteriori non item, *Vid. Casum specul. Moral. l. 4. c. 3.*

QUÆSTIONES POLITICÆ.

I.

An politica disciplina præstantissima?

Pro negativa pugnat: Quod, ut tres superiores facultates Philosophia, sic etiam qualibet eius parte censendæ sint superiores. Verum hæc ratio unico distinctionis ictu prosternitur. Per Politicam enim

enim hic non intelligitur illa tantum Philosophiæ pars, quæ succin-
ctis Aphorismis, & præceptiunculis sub celebri & nobili Politices
nomine juvenibus discenda proponitur; sed tota illa, & fufiffima
disciplina f. ars gubernandi Rempubl, quæ non nnius, aut alteri-
us hominis bonum, sed totius civitatis, Regni, aut Nationis be-
num considerat, quam Arist. βασιλικήν h. e. Regiam nominari pos-
se innuit. Atq; hæc nullo modo superiorem agnoscit, sed potius
dicitur Domina dictarum trium Facultatum, quibus leges & mo-
dum, quatenus & quomodo in civitatibus tolerandæ sint, præscri-
bit. Palmam itaq; Affirmativa obtinebit: Nam 1. omnium alia-
rum artium fines ad finem Politicæ sunt referendæ, 2. Virtute po-
liticâ præstantiorem homo nullam assequitur. Plut. in cat. Maj, illa
enim maximè Architectonica est Arist. 1. Nicom. 2. Ut. n. Archite-
ctonica sub se omnes artes manuaras complectitur, quod ad eam
illæ ratione finis referantur: Ita etiam Politica alias disciplinas
tanquam ministras sub se habet, ac moderatur, Vid. Pol. Schönbo. l. 1. c. 1. Gol. l. 1. Eth. c. 2.

II.

An politica certis possit tradi præceptis?

Parti propositæ quæstionis Affirmanti, si non absolutam per-
fectionem, sed qualemcunq; intelligas, subscribimus. Nam 1. Ci-
viles res omnes omnium locorum, omniumq; gentium ad com-
munem quandam f. generalem notionem posse reduci nemo dubi-
tabit, qui diversissimis gentibus quoad politias, & civiles actiones
multa communia esse noverit, propter naturæ communia principia
practica; Etsi postea in specie discriminis, atq; varietatis multum
accedat. 2. Tria illa certitudinis in disciplinis κειθήρα in doctrina
politica locum habent. Nam quæ in politicis traduntur, innituntur:
(1.) Universali experientia, (2.) oriuntur ex luce naturæ, (3.) inni-
tuntur ordini intellectus. Erit igitur in illis præceptorum certitudo.
Nec terreat nos, magna, quam nonnulli introducunt, varietas civi-
lium actionum, quæ oritur ex infinita qualitate circumstantiarum
Politica enim tradi potest præceptis generalibus, exclusis casibus
singularibus, Vid. Pol. Schönbo. l. 1. c. 2.

Quid

*Quid homines ad colendam societatem civilem
compulerit?*

Maxima sanè circa hoc ζήτημα sententiarum occurrit varietas: Quidam homines temerario fluxu, & fortuito casu, non secus ac ἄτομα illa σώματα, quæ passim per aëra volitant, coaluisse, cum Epicuro nugantur: Quidam suavitate Musicae, (quod Orpheo adscribunt) aut eloquentiæ cujusdam prælectamento homines instar pecudum in campis obvagantes, ad Societatem civilem colendam fuisse commotos cum credulis Poetis cantitant. Alii se rem acu tetigisse putantes; necessitatis causa, ut vel tuti essent à cæli injuriis, vel se munirent ad potentiorum vim propulsandam, vel ut artem coquinariam addiscerent initiò convenisse statuunt. Quæ opinio non longè quidem à vero abit, non tamen omnem quæstionis amplitudinem exhaurit; causam enim impulsivam Externam tantum, vel περιεργαστικὴν, non internam, aut περιηγεμένην exprimit. Nonnulli tandem cum Philosopho 3. Pol. 4. ἄνθρωπος τῆ φύσει ζῶον πολιτικόν ἐστὶ. Natura homo est animal politicum, dicente, præter præcedentem causam ipsam Naturam, vel urgentem nature instinctum Societatis Politicæ causam assignant. Quibus & nos adstipulamur: Nam DEUS hominum animis inclinationem quandam ad civilis vitæ societatem ingeneravit.

IV.

An mulieres ad imperium admittendæ

Nihil est tam absurdum, quod suos non inveniat patronos: sic licet absurdè statui videatur, mulieres ad imperium esse admittendas, sunt tamen qui illud affirmare non erubescunt. Nos, quæis

De meliori luto finxit præcordia Titan.

Mulieres ad imperium, quo ad genus ineptas esse censemus: t. Quia prudentiâ plerumq; & consilio sunt destitutæ. Est mollis & incautus hic sexus Chrysof. par. 2. homil. in Matth. hom. 23. pr. 2. DEUS ipse improbat. Esaiæ 3. v. 11. Maledictus populus, cui fœminæ & infantes imperant, 3. Virtutis sunt inexpertes, & omnia propè vitia, quæ imperantes velut scopulos evitare debent, inclinant. Vid. Pol. Schonb.

Schonb. l. 2. c. 12. Nec officit, si quis inferat, mulieres mascula virtute præditas, gubernationi rerum præficiendas, satiusq; esse, a foemina virili animo, quam viro effoeminatis moribus regi. Vid. Kecker. Philo. Diss. 29. quest. 7. Non enim sufficiens hæc ratio est, cum rarissimè ista fortitudinis muliebris exempla occurrant, & a communi naturæ lege, sicubi occurrant, exorbitent, quod ipsum facit ut in hæc & genere, hoc thema affirmare auserim.

V.

An diversas in Republicâ Religiones Magistratus tolerare debeat?

Lacertis quam chartis, Armamentis, quam Argumētis sæpius agitata hæc est quæstio: Qui stant a parte affirmate, diversas in Republica Religiones admitti posse scriptis & rationibus acriter defendunt. 1. Nihil enim tam voluntarium quam Religio. 2. Nulla est intolerabilior tyrannis, quam dominari velle conscientis. Unde corpora quidem obnoxia & adscripta Dominis, mentem verò sui juris esse Seneca testatur. 3. Christus non dat in mandatis discipulis, ut ulum ad credendum compellant. Fides suadenda, non imperanda. In contrarium autem a quibusdam hæc adferuntur rationes: 1. Quia non coalescunt in civilibus subditorum animi, nisi in ipsa actionum summa, in Religione scilicet conveniant, 2. Quia Religione firmiter unitatis & concordia vinculum nullum datur, 3. DEus ipse improbat Religionis diversitatem, ut apparet Deut. 13. ubi falsos prophetas è medio tollendos censet, & alibi. Totius controversiæ nodus unica hac distinctione, (quam à Meisnero mutuabimur) solvitur. *Magistratus potestatem habet vel liberam & absolutam, nullis certis pactis aut conditionibus implicatam, vel restrictam, & certis pactis & conditionibus implicatam, quando nimirum Magistratus se ad diversarum Religionum tolerantiam obstrinxit.* Magistratus qui habet potestatem restrictam, omninò cogitur tolerare diversas Religiones, præsertim, si juramento confirmarit, ne juramentum violet, nomenq; DEI profanet. 3. Part. Phil. Sob. Sect. 2. quest. 5. Magistratus habens potestatem liberam, varias Religiones tolerate non quidem cogitur, extirpare tamen eas omninò, ita,

B

ut una

ut una vigeat, haud potest. Naucletum itaq; hac in re imitari cogitur, qui cum eò, quò cupit, pergere non possit, eò, quò potest, cursum dirigit, ac sæpè velificatione mututà, procellis & tempestatibus obtemperat, ne si cursum temerè tenere velit, naufragium patiatur. Despiciat itaq; talis Magistratus; An hæretici hæresin amplectantur tantum; An verò eandem etiam spargant, ac profeminent. Si pacatè vivunt, spe conversionis, & pacis publicæ gratia tolerandi videntur. Si verò in fraternà admonitione non acquieverint, è Republ. exterminandi. *Schonb. l. 3, Pol. t. II.*

QUÆSTIONES OECONOMICÆ,

I.

An Agricultura modus acquirendi perfectissimus?

Agricultura, qui ut modus acquirendi vetustissimus, ita & perfectissimus, & præ cæteris magni æstimandus. Non enim 1. Ex hominum instituto & præscripto ortus, sed à DEO ipso institutus, qui *πρωτοπλαση* Adamo terram colendam injunxit. 2. Agricultura non contra naturam, sed naturæ consentanea est. Nam terra mater omnium; à matre autem naturaliter cunctis nutrimentum supeditatur. Unde illam ipsam egregiè nobis commendat Philosophus quasi nutricem vitæ, quæ velut ubera semper distenta, & lacte referta habet, ex qua dulcissimam vitam & victum familia & civitas ubertim hauriunt. *Vid. casum Thesaur. Oecon. c. 2. quest 3.* 3. Non est dolosa, aut in fraudem illicit ut mercenaria; Non injusta ab invitis rapit, ut artes bellicæ. Et hoc est, quod Cicero pro Roscio Amerino dicit: Agricola semper vivunt, ut quæstum noscant nullum; Fructum autem eum colligant solum, quem labore pepererint. 4. Non enervat corpora, & inepta reddit, quemadmodum sartorum officina, vel lutrina? sed reddit dociles, ad robur & fortitudinem, ut omnem tolerare laborem, expectare hostem, pericula subire & contemnere possint. Soli enim hi res extra munitiones habent, cum alii in oppidis & urbibus mœnibus cincti vivant. Exclamandum igitur cum Catone Maj: judico Haud scio Agricoltatione an ulla vita
beatior

beatior esse possit? neq; solum officio, quod hominum generi uni-
verso cultura agrorum est salutaris; sed & delectatione & saturitate,
copiâq; rerum omnium, quæ ad victum hominum, & cultum etiam
pertinent.

11.

*An paterfam: per Usuram Remfam: legi-
timè augere possit?*

Pro negativa se se offerunt, & usuram prohibitam testantur Lex
tam Naturæ, quam Divina & Humana: Lex Naturæ quidem; Quia
ut naturæ adversatur is, qui hominem è medio tollit violenter: Ita
eam vehementer lædit, qui hominem expilat, deplumat, & ad pau-
pertatem & miseriam adigit; quo sensu commodè fœnerationem
contra naturam esse *Arist. Afferit. 1. Pol. c. 7.* Lex Divina: Quia se-
ptimum præceptum præcipit: *Nonfurtum facies.* Furto autem quo-
vis deterius, & homicidio gravius hoc crimen censet *Ambros. in lib.
de Tob. c. 15.* & in sacris undiq; arguitur. *Exod. 22. Deut: 23. v. 19.
Psal. 15. v. 1.* & alibi. Lex Humana: Quia à multis Imperatoribus,
Regibus, & Principibus improbatam, varia variarum historiarum
probant monumenta. Albertus Cæsar legem promulgavit, ut qui
duobus testibus fœnoris convinceretur, omnibus bonis caderet.
Anno 1500. in Constitut: Imperatoris usura expressè prohibebatur.
It: *Carolo V. Vid. Keckerm. Cur. Phil. Diss. 38. quest. 46.* Solutionem
aggredimur: *Usura alia est recompensatoria, & in sanctionibus
Imperii permissa: Alia lucratoria & iisdem interdicta:* Prolatæ
rationes intelliguntur de lucratoria, quæ semper est sordida, injusta,
insatiabilis, monstruosa charybdis mundi, & penitus à modo acqui-
rendi pecunias, & locupletandi familias excludenda. Nostra quæstio
loquitur de recompensatoria, per quam optimè Rem suam familia-
rem augere quis potest, modò ne charitatis regula violetur, sed ob-
servetur discrimen inter pauperes ac egentes, & divites ac locupletes
qui pecuniis lucrari solent. Nam qui pecuniam alteri suppeditat,
qui eâ lucratur, cum interim ipse haud sine dispendio eâ carere cogat-
ur, pro recompensatione usuram capere potest, quæ cædit in
debitum interesse.

Coro-

Coronidis locò hæc problemata subijciuntur.

1. Gramm.

An lingue habeantur pure? A.

An regula illa Grammatica: Quæ viris ac mulieribus pariter conveniunt communis generis sunt, semper procedat? N.

2. Logica.

An Logica & Dialectica sint unum & idem? A. cum Dist.

An quemadmodum termini Metaphysici Speciales, pro ut primæ mentis operationi subijciuntur, in Logicis quodammodo declarantur, ita & generales declarentur? Aff. Quoad prædicationem Analogicam in vi eminenti.

3. Rhetor.

An Rhetorica tanquam genus sub se contineat oratoriam & Poeticam tanquam species? strictè vocabulo Rhetorica accepto, N.

An oratio constet meris Argumentationibus? Dist. Inter Illustrant: & probantia.

4. Poëtica.

An Poëtica prosodiæ Grammaticæ rectè annectatur? N.

An verum illud Taubmanni in disfert: de Lat. ling:

*Ein Poet ist ein solcher Mann
Der sein künstlich liegen kan? A.*

5. Metaphisica.

An genus Metaphysicæ sapientiæ, an scientiæ? Aff. post.

An essentia, Existentiæ, Duratio differant realiter? N.

6. Physica.

An in cælo dentur Cometa vel nova stella? Aff.

An ex coitu incuborum & succubarum cum hominibus, proles humana gigni possit? N.

7. Ethica.

An ignorantia excuset, s. minuat peccatū? D.

An ira necessaria viro forti? A.

An conveniat forti hostem fallere? A.

8. Politica.

An positas semel leges, quæ suæ quidem nituntur vetustate, & tamen aliquid iniqui continere videtur, mutare liceat? N.

An vita solitaria approbanda? N.

An papicolarum peregrinationes, pro satisfactione peccati susceptæ, sint propriè dicenda peregrinationes? N.

9. Oeconomica.

An nuptiæ fiant providentiæ Divinæ? A.

An juvenis debeat ducere uxorem vetulam? N.

10. Mathematica.

Astronomia: An orbis sint in cælo

Ἐϕὶ Φύσιν, an Ἐϕὶ Θεσιν saltem statuantur? Post. Aff.

Astrolog. An stellarum motus concentum harmonicum efficiat? N.

Opti: An talis radius reflexionis, qualis incidentiæ? Aff.


11. Histor.

An Gigantes in mundo extiterint? Extitisse ex historiis, tam sacris, quam profanis liquet.

An numerus annorum mundi ex historiis sacris & profanis adhuc extantibus tam exactè colligi & assignari possit, ut nihil planè desit, nihil supersit. N.

An itaq; vulgaris numerandi ratio, quam Chronologi nostri exhibent, quamq; nos sequimur, rejicienda sit, Cum non ita multum à verò abesse videatur. N.

B III



28